

inibi stabilire pacem etiam et quietem cum nativis incolis et agrestibus indigenis earum terrarum colere (unde ipsi et eorum quilibet mercimonia ibi exercentes tuti cum oblectamento ea quae magno cum labore et periculo acquisiverunt quiete possidere possint) nos pro nobis nostrisque haeredibus et successoribus volumus nobisque visum est per praesentis cartae nostrae tenorem dare et concedere dicto Domino Willelmo Alexander suisque praedict et eorum deputatis vel aliquibus aliis gubernatoribus officiariis et ministris quos ipsi constituent liberam et absolutam potestatem tractandi et pacem affinitatem amicitiam et mutua colloquia operam et communicationem cum silvestris illis aboriginibus et eorum principibus vel quibuscunque aliis regimen et potestatem in ipsos habentibus contrahendi observandi et alendi tales affinitates et colloquia quae ipsi vel sui praedict cum iis contrahent modo foedera illa ex adversa parte per ipsos silvestres fideliter observentur quod nisi fiat arma contra ipsos sumendi quibus redigi possunt in ordinem sicuti dicto Willelmo suisque praedict et deputatis pro honore obedientia et Dei servitio ac stabilimento defensione et conservatione autoritatis nostrae inter ipsos expediens videbitur Cum potestate etiam praedicto Domino Willelmo Alexander suisque praedict per ipsos vel eorum deputatos substitutos vel assignatos pro ipsorum defensione tutela omni tempore et omnibus iustis occasionibus in posterum aggrediendi ex inopinato invadendi expellendi et armis repellendi tam per mare quam per terram omnibus modis omnes et singulos qui sine speciali licentia dicti Domini Willelmi suorumque praedict terras inhabitare aut mercaturam facere in dicta Novae Scotiae provincia aut quavis ejusdem parte conabuntur et similiter omnes alios quoscunque qui aliquid damni detrimenti destructionis laesionis vel invasionis contra provinciam illam aut ejusdem incolas inferre praesumunt quod ut ratiū fiat licitum erit dicto Domino Willelmo suisque praedict eorum deputatis factoribus et assignatis contributiones a periclitantibus et incolis ejusdem levare in unum cogere per proclamationes vel quovis alio ordine talibus temporibus sicuti dicto Domino Willelmo suisque praedict expediens videbitur omnes nostros subditos infra dictas limites dictae provinciae Novae Scotiae inhabitantes et mercimonia ibidem exercentes convocare pro meliori exercituum necessariorum supplemento et populi et plantationis dictarum terrarum augmentatione et incremento Cum plenaria potestate privilegio et libertate dicti Domini Willelmo Alexander suisque praedict per ipsos vel eorum substitutos per quaevis maria sub nostris insigniis et vexillis navigandi cum tot navibus tanti oneris et tam bene munitione viris et victualibus instructis sicuti possunt parare quovis tempore et quoties iis videbitur expediens ac omnes cujuscunque qualitatē et gradus personas nostri subditi existentes aut qui imperio nostro sese subdere ad iter illud suscipiendum voluerint cum ipsorum jumentis equis bobus ovibus bonis et rebus omnibus munitionibus machinis majoribus armis et instrumentis militaribus quotquot voluerint aliisque commoditatibus et rebus necessariis pro usu ejusdem colonos mutuo commercio cum nativis inhabitantibus earum provinciarum aut aliis qui cum ipsis plantatoribus mercimonia contrahent transportandi et omnes commoditates et mercimonia quae iis videbuntur necessaria in regnum nostrum Scotiae sine alicujus taxationis custumae aut impositionis pro eisdem solutione nobis vel nostris custumariis aut eorum deputatis inde portandi eosdemque ab eorum officiis in hac parte pro spatio septem annorum diem datae praesentis cartae nostrae immediate sequen inhibendo quamquidem solam commoditatem per spatium tredecim annorum in posterum libere concessimus tenoreque praesentis cartae nostrae concedimus et disponimus dicto Domino Willelmo suisque praedict secundum proportionem quinque pro centum postea mentionat Et post tredecim illos annos finitos licitum erit nobis nostrisque successoribus ex omnibus bonis et mercimoniis quae ex hoc regno nostro Scotiae ad eandem provinciam vel ex ea provincia ad dictum regnum nostrum Scotiae exportabuntur vel importabuntur in quibusvis hujus regni nostri portubus per dictum Willelmum suosque praedict tantum quinque libras pro centum secundum antiquam negotiandi morem sine ulla dispositione taxatione custuma vel devoria ab ipsis imperpetuum levare et exigere quaequidem summa quinque librarum pro centum sic soluta per dict